



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.  
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam  
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118669**

§. 2. Gondius Cardinalis Roma Parisios reversus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-67252)

§. II.

Sæcul. XVI.

A.C. 1594.

Gondius *Cardinalis Roma Parisios*  
*reversus.*

Cum Henricus hac actione luculen- *Avila l. 14.*  
 tum suæ erga Pontificem obedien-  
 tiæ testimonium ederet, paulopost Gon-  
 dius Cardinalis in Franciam redux Lu-  
 tetiam Parisiorum, cuius urbis Episco-  
 pus erat, venit, atque primas eo cu-  
 ras intendit, ut tam regalari, quam  
 sœculari Clero injungeret, quatenus pro  
 Regis Christianissimi conservatione con-  
 suetas preces funderent, ac eundem Hen-  
 ricum IV. tanquam verum, & legitimum  
 Franciæ Regem omnino venerarentur:  
 cum autem Religiosorum nonnulli sese  
 opponerent, illos Cardinalis acribus  
 verbis objurgans inhibuit, ne amplius  
 ipsius conspectum subirent; Poitea  
 Federatorum nonnulli de hac Cardi-  
 nalis severitate datis Romam literis sum-  
 mum Pontificem certiorem reddebant,  
 rem iis depingentes exaggerationibus,  
 quas seditionis libido inspirare poterat:  
 equidem Papa hanc Præfusis agendi ra-  
 tionem se minus ratam habere simula-  
 bat, quinimo asserebat, se illum data  
 temporis, occasionisque opportunitate  
 ob hanc culpam castigaturum, mox ta-  
 men adjunxit, quod spectata Gallica-  
 rum rerum vicissitudine jam accensum

Ff 2 ignem

**Sæcul. XVI.** ignis novis flammis augere non conve-  
**A.C. 1594.** niat: enimvero prudens erat hæc Pon-  
 tificis animadversio; quippe vel soli Hi-  
 spani suis artibus tot tumultus, ac dis-  
 fensiones excitabant, ut abs dubio re-  
 gnum extremo involutum fuisset exitio,  
 nisi Deus visibili etiam suo præsidio  
 illud tutatus fuisset.

§. III.

*Henrici consilium de bello Hispanis  
 inferendo.*

Cum ergo Henricus diu admodum ejus-  
 modi Hispanorum molimina non  
 sine animi sui moerore toleraslet, tan-  
 dem occupatis pluribus majoris mo-  
 menti urbibus, copiosissimo suorum fau-  
 torum numero suffultus, in Senatu de-  
 creverat, quod etiam interiora Hispanici  
 Regni loca armis depopulari velit. Cum  
 vero ex hac expeditione maxima mala  
 oritura probe prospiceret, priusquam  
 hoc consilium executioni dabat, ad  
 Arthesiæ, & Hannoniæ Ordines hæc  
 perscripsit: „nisi copias vestras a Fran-  
 „ciæ finibus educendi licentiam ab Hi-  
 „spaniæ Rege petieritis, atque hostilia  
 „prout hucusque fecistis, in Camera-  
 „censes, & illius Metropolis incolas  
 „subditos meos in fidem meam receptos  
 „exercere cessaveritis, armorum meo-  
 „rum æquitatem clandestinis vestris  
 „confi-